

# EPISTULA LEONINA

## CCXXXV

HEBDOMADALE  
 PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
 QUOD ĒDITUR  
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETTIALI  
 CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CCXXXIV** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
**DUCENTESIMAM TRICESIMAM QUINTAM (235) !**

## ARGUMENTA

<b>PRAEFATIUNCULA.....</b>	02-03
<b>NON OMNIS MORIAR.....</b>	04
<b>DE ORDINE EQUITUM RIZALIANORUM.....</b>	05-06
<b>DE IOSEPHO RIZAL HEROE NATIONALI INSULARUM PHILIPPINARUM.....</b>	07-14
<b>»ULTIMUM MEUM VALE« CARMEN JOSEPHI RIZAL.....</b>	15-17
<b>MONUMENTUM RIZALIANUM.....</b>	18-19
<b>DE FABULA ROMANICA RIZALII ILLUSTRISSIMA.....</b>	20-27
<b>CHRONOGRAMMATA DEMMINGIANA.....</b>	28-29
<b>CHRONOGRAMMATA PATRIS HERBERTI DOUTEIL.....</b>	30-31
<b>ECHUS VOCES EPISTULAE (Andreas Fritsch).....</b>	32-33
<b>ECCE LIBRI LEONIS LATINI.....</b>	34-37

## PRAEFATIUNCULA

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS AMANTIBUS  
SAL.PL.DIC.**

***Cara Lectrix, Care Lector,***

*gaudenter Te invito, ut denuo fruaris lectione Epistulae Leoninae. Hac quoque in Epistulâ Leoninâ habemus vehementer varia: Ergo lege symbolas Leoninas: miraberis!*

*Cum Leoni persuasum sit Lectrices Lectoresque suos varietate delectari, idem hac in Epistulâ materiam tractat omnino aliam ac in praecedentibus: non agitur de furore climatis neque de furore coronaे neque de genderismi deliramentis – absint a nobis istae ineptiae profanissimae et insulsissimae! - sed agitur de **Iosepho Rizal heroe Insularum Philippinarum nationali**. Babae, quale thema tructo hac tempestate rerum, mediâ in pandemiâ putativâ? Lege de **Iosepho heroico**: qui fuit valdê doctus, polyglottus, multarum terrarum frequentator, ab aliis gentibus discendi cupidissimus, patriae amantissimus. Necnon fortissimus: lege eius ultimum carmen, eius ultimam epistulam amico ante supplicium sui scriptam – pro certo habebis Iosephum fuisse verum heroem!*

*Tamen quaeris, undenam acceperim talem materiam a Latinis litteris remotiusculam? Tullius nos docet habere sua*

*fata libellos, habet suum fatum etiam haec Epistula Leonina: Nuper Radulfus amicus quidam mei medicus Eques factus est Ordinis Rizalianorum; cum in eius epistulâ insigne illorum equitum heraldicum aspicerem verbis illis Horatii ornatum, q.s. “**NON OMNIS MORIAR**”, curiosus factus investigare coepi, quisnam fuisset ille Iosephus Rizal, cuius memoriae illi Equites dedicant Ordinem suum... En nunc habes ea quae inveni de Iosepho Rizalio relata, heroe Insularum Philippinarum nationali, qui nocte ante supplicium sui capitale Bohemo amico suo Professori Blumentritt scripsit stoicâ cum constantiâ animi verba haec quae sequuntur:*

**»Mi care: Si hanc epistulam acceperis, ego iam mortuus ero. Cras horâ septimâ necabor sclopetis; sed innocens sum sceleris rebellionis. Moriar conscientiâ tranquillâ. Vale, mi amice optime, carissime, et noli umquam male de me cogitare«.**

*Nonne est admiratione dignus hic Stoicus Philippinus?  
Sed tu, cara Lectrix, care Lector, tolle et lege et mirare – necnon iudica ipse!*

**Medullitus Te salutat**

**Dr. Nicolaus Groß  
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae**



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,  
Die Martis, 13. m.Apr. a.2021**



# **NON OMNIS MORIAR**

**HORATIUS, Carmen III 30**

Exegi monumentum aere perennius/ regalique situ pyramidum altius, / quod non imber edax, non Aquilo inpotens/ possit diruere aut innumerabilis/ annorum series et fuga temporum./ **5 Non omnis moriar** multaque pars mei/ vitabit Libitinam; usque ego postera/ crescам laude recens, dum Capitolium/ scandet cum tacita virgine pontifex. / Dicar, qua violens obstrepit Aufidus/ et qua pauper aquae Daunus agrestium / regnavit populorum, ex humili potens / princeps Aeolium carmen ad Italos/ deduxisse modos. Sume superbiam/ quaesitam meritis et mihi Delphica/ lauro cinge volens, Melpomene, comam.

# DE ORDINE EQUITUM RIZALIANORUM

<http://www.rizal-schweiz.ch/>

**EQUITES RIZALIANI**<sup>1</sup> sunt primus Insularum Philippinarum Ordo Equitum. Qui ordo fundatus est ad ideas herois Philippinarum nationalis honorandas atque servandas. Sodalitas, ordines, insignia in **Codice honorum** Philippinarum comprobati sunt honores rei publicae officiales; qui positi sunt loco octavo omnium civilium insignium et decoramentorum rei publicae Philippinicae honorificorum.

Hic ordo d.30. m.Dec. a.1911 duce Praefecto *Antonio Torres* praeceptore astynomiae Manilensis a novem fundatoribus est fundatus, ut commoneretur martyrii *Iosephi Rizal* herois populi Philippiani. Dies enim tricesimus est anniversarius supplicii capitalis, quod de Iosepho Rizal sumptum est d.30. m.Dec. a.1896. Anno exactê uno post Ordinis fundationem factum est Rizalii funus publicum, quo ossa eius e sede familiari *Binondonensi* in *Lunetam* (i.e. hodie *Maenianum Rizalianum*) sollemniter transposita sunt. Hac in re Equites Rizaliani munus susceperunt vigiliae honorificae. Ex illo die Ordo Equitum Rizalianorum multum valet ad sollemnitates in memoriam Iosephi Rizalii celebrandas.

A.1951 *Immanuel Zola* delegatus Cebuensis in congressu petivit, ut Ordini Rizalianorum concederetur charta legislativa<sup>2</sup>. Senatores autem *Henricus Magalona*, *Laurentius Sumulong*, *Stephanus Abada*, *Aemilianus Tria Tirona*, *Camillus Osías*, *Hieronyma Pécsón*, *Iosephus Avelino*, *Raimundus Torres* etiam in senatu hanc petitionem foverunt. Decretum legislativum a praesidente d.14. m.Iun. a.1951 ad effectum adductum est nomine Actûs Rei Publicae n.646 et Ordo Equitum, qui ex a.1911 exstiterat iure privato, mutatus est in corporationem publico-iuridicam.

Decreto legislativo Ordo Rizalianorum definitur organisatio non-haeretica et non-phyleticista et civilis et patriotica et cultualis. Ex illo tempore legatis Philippinis licet gerere insignia Rizalianorum. Ut

---

<sup>1</sup> i.e. anglice "Knights of Rizal", hispanice "Orden de Caballeros de Rizal", theodisce: "Rizalritter"

<sup>2</sup> i.e. "Legislative charter".

etiam decreto legislativo est constitutum, Ordinis Rizaliani administratio atque gestio negotiorum in manibus est ***Concilii Supremi***, quod complectitur novem membra praesidialia.

Aliter ac alii ordines Philippinorum ac multi ordines meritorii internationales *Equites Rizaliani* sunt ordo *activus*. Huius ordinis sodalitate non solum attribuuntur privilegia, sed etiam postulantur sodalium studia et adiumenta personalia. Praeter adiumenta, quae a Rizalianis danda sunt in sollemnitatibus officialibus et legatoriis necnon die independentiae Philippinarum, idem ordo equitum ubique terrarum fovet atque adiuvat iuvenes Philippinos, velut in annuâ *Rizalianâ Conferentiâ Nationalis Instituti Ductûs Iuventutis*<sup>1</sup> et in *Interscholari Competitione Ingenii Facultatumque Academicarum Orientis Medii et Africae*<sup>2</sup>. Cum Ordo Rizalianorum ubique terrarum augeatur, hodie ab eodem etiam ad effectum adducuntur actiones atque incepta humanitaria internationalia.


Sodales Ordinis Rizaliani alloquendo et scribendo appellantur titulo officiali, q.e. *Sir*. Auctoritas, quam habet aliqui sodalis, significatur aptis nominis additamentis. Mulieres sodalium consortes officialiter appellantur *Lady*. Si sodales congregantur, gerunt insignia Ordinis et vestes uniformes.

---

<sup>1</sup> National Rizal Youth Leadership Institute Conference

<sup>2</sup> Middle East and Africa Region Inter-School Academic Talent and Skills Competition

# **DE IOSEPHO RIZAL HEROE NATIONALI INSULARUM PHILIPPINARUM**



**IOSEPHUS RIZALIUS**  
**(José Rizal)**  
 (1861-1896)

*„Herrn Prof. Ferdin. Blumentritt.*

*Mein Lieber: Wenn Du diesen Brief erhalten hast, bin ich schon todt. Morgen um 7 Uhr werde ich erschossen werden; bin ich aber unschuldig des Verbrechens der Rebellion. Ich sterbe gewissensruhig. Lebe wohl, mein bester, liebster Freund, und denke nie übel von mir.*

*Festung des Santiago, den 29sten Decem. 1896.*

*José Rizal.*

*Grüsse der ganzen Familie, der Frau Rosa, Loleng, Curt und Friedrich. Ich lasse Dir ein Buch zum Andenken.”*

i.e. Latinê:

*Domino Professori Ferdinando Blumentritt.*

*Mi care: Si hanc epistulam acceperis, ego iam mortuus ero. Cras horâ septimâ necabor sclopetis; sed innocens sum sceleris rebellionis. Moriar conscientiâ tranquillâ. Vale, mi amice optime, carissime, et noli umquam male de me cogitare.*

*E Castro Iacobi, d.29. m.Dec., a.1896.*

*Iosephus Rizalius.*

*Saluta a me totam familiam, Dominam Rosam, Loleng, Curtium et Fridericum. Librum tibi relinquam in memoriam.*

**IOSEPHUS RIZALIUS**, id est **José Protacio Mercado Rizal y Alonso Realonda** (qui natus est d.19. m.Iun. a.1861 in urbe *Calambâ*, insulâ *Luzon* et mortuus d.30. m.Dec. a.1896 in urbe *Manilâ*) fuit Philippinianus auctor litterarum et delineator et medicus ophthalmologus et francomurarius multis in terris peregrinatus multarumque linguarum doctus, patriae suaे deditissimus. Idem sui vitâ et opere magnam vim habuit ad animos illorum adhortandos, qui pro Philippinarum independentiâ pugnaverunt. Iosephus Rizal est heros Philippinarum nationalis (qualis sermone *Tagalog* eius patrio appellatur *pambansang bayani*).

Rizalius longa itinera fecit in Belgium, Angliam, Francogalliam, Hongcongium, Iaponiam, Helvetiam, Hispaniam, Austrio-Hungariam, Civitates Unitas. In Germaniâ quoque diutius versatus est, *Heidelbergae* bono cum successu medicinae studuit cognoscendae. In oppido *Wilhelmsfeld* prope *Heidelbergam* sito invenitur monumentum eidem dedicatum. Iosephus *Ulmae* libellos pueriles ornavit picturis, velut fabellas illas Maximiliani atque Mauricii Buschianas necnon *Vilelmum Tell* drama *Friderici Schiller* celeberrimum convertit in sermonem *Tagalog* sibi patrium. Iosephus Rizal amicitiâ coniunctus erat cum *Ferdinando Blumentritt* Professore Philippinarum optimê docto (quamvis in iisdem numquam versato) Bohemo, in cuius oppido patrio ad Albim sito (*Litoměřice*, quae appellatur theodiscê *Leitmeritz*) in memoriam Iosephi exstructum est monumentum. A.1887 Rizalius factus est sodalis *Berolinensis Societatis anthropologicae, ethnologicae, praehistoriae*.

### **Historia gentis Rizalianae.**

Rizalius septimus undenorum liberorum *Francisci Rizal Mercado* et *Theodorae Alonso* natus est in urbe *Calambâ*, provinciâ *Lagunâ*. Idem habitus est pro mixticio Sinico, quia per quintam generationem exortus erat e *Dominico Lam-co*. Ille enim saeculo septimo decimo exeunte e *Fujian* Sinarum provinciâ in insulas Philippinas emigravit, ibique Agnete de Rosâ (*Inés de la Rosa*) mixticiâ Sinicâ in matrimonium ductâ mercator factus est. Cum secundum edictum gubernatoris generalis Lamco deberet appellari nomine gentilicio hispanico, idem sibi elegit nomen „*Mercado*“, i.e. mercatus, quo monuit negotii, quod gerebat. *Theodora* autem mater Rizalii fuit filia

neptis Lamconis (*Brígida de Quintos*) et mixticii hispano-philippinici (*Lorenzo Alberto Alonso*).



Ex eo tempore familia Rizalii fuit nomine gentilicio *Mercado*. Iosephus hoc nomen sibi servavit, usque dum se inscripsit matriculae Athenaei Municipalis Manilensis. *Pacianus* autem frater Iosephi maior, cum ipsi allatae essent difficultates a gubernatione Hispanorum coloniali propter rationes cum *Iosepho Burgos* sacerdote Philippino initas, de quo supplicium sumptum erat capitale, fratri suo minori persuasit, ne in suspicionem veniret magistratum, ut sibi novum nomen gentilicium imponeret, quod fuit „*Rizal*“ (id est ‘*oryzaceus*’ = *qui est tam viridis sive potius vegetus quam caulis oryzae*’).

### **Eruditio.**

Rizalius iter fecit Manilam, ut litteris studeret in *Athenaeo Manilae Municipalis*, ubi a.1877 baccalaureus factus est Facultatis philosophicae; fautor eius et adiutor fuit *Ambrosius Rianzares Bautista*. In eodem Athenaeo remansit, ut disceret artem geodesiae, necnon simul matriculae nomen inscripsit Universitatis Sancti Thomae, ubi studeret disciplinis litteraturae atque philosophiae. Cum acciperet matrem suam oculis captam esse, statuit, ut studeret medicinae cognoscendae, sed studia sua interrupit, quia sensit sibi in

universitate a sacerdotibus afferri difficultates detrimentaque. Itaque studium medicinae perfecit in *Hispaniae Universitate Matritensi centrali*, quo interim iter fecit et existimatus est notâ optimâ. Deinde Iosephus migravit Parisios ibique in nosocomio oculari institutione speciali finitâ factus est ophthalmologus. Postea sedem suam transtulit Heidelbergam, ubi cooperator *Ottonis Becker* ophthalmologi optimê famati exercuit medicinam oculorum.

Londinii versans eximiê adiutus est ab amico et hospite frequenti, *Reinholo Rost*, bibliothecario Bibliothecae Officii Indiae superiore, qui cum ceteris tum eo benefecit Iosepho, quod in Domo Hispaniae Regiâ id curavit, ut facilior fieret amici domuitio.

Rizalius a.1884 receptus est in ordinem franco-murariorum; particeps fuit Matritensis sodalitatis *Acaciae* numeri noni. A.1892 ipse condidit sodalitatem Philippinam, quam appellavit *La Liga Filipina*.



*A sinistris stat Iosephus Rizal,  
in medio Marcellus del Pilar,  
a dextris Marianus Ponce.*

## Opera et hereditas

Rizalius libris suis, praesertim opere illustrissimo, c.t. [\*Noli me tangere\*](#) (*titulus originalis est reverâ Latinus, sed textus est Hispanicê scriptus!* - *adn. interpretis*), quod a.1887 Berolini editum est Hispanicê scriptum, vituperavit sistema sociali-politicum, maximê autem

castigavit, quod Ecclesia Romano-catholica eiusque sacerdotes monachique Hispani potestate suâ male abutebantur. In fabulâ suâ, quae inscribitur [Noli me tangere](#), Iosephus aut leviter perstringit aut insigniter describit, quomodo monachi Hispani corrumpant corrumpanturve terramque indigenarum rapiant necnon stuprum inferant indigenis mulieribus. In fabulâ, c.t. [El filibusterismo](#) („*De seditione*“), quae est argumenti enarratione etiam magis dramaticâ, a.1891 Gandavi in urbe Belgicâ est edita, agitur de seditione generali et de populi Philippini voluntate potestati coloniali adversâ. Hôc opere publicato Rizalius e gente opulentâ sinico-mixticiâ exortus exosum se fecit dominis Hispanis. Scientia et eruditio in Philippinis colonialibus habebantur esse periculosissimae, praesertim si qui indigena iisdem abundanter instructus esse patiebat viris Ecclesiae Romano-catholicae necnon ordinum Hispaniae monachalium. Itaque opera Rizaliana expressis verbis sunt prohibita. Rizalius litteris suis etiam monumentum confecit gregi, qui appellatur GOMBURZA, id est tribus indigenis sacerdotibus christianis, qui capitis damnati erant.

Iosephus Rizal fuit membrum motûs Philippinorum studentium in Europâ versantium, qui conferebat ad amorem patriae propagandum, et symbolas scribebat politicas in illorum ephemeride publicandas, c.t. *La Solidaridad*. Cum cetera tum praecipue id postulavit, ut Insulae Philippinae fierent provincia Hispaniae, ut inessent sedes philippinicae parlamento Hispaniae, ut sacerdotes indigenae in locum supponerentur hispanicorum, ut omnibus incolis Philippinarum concederetur libertas congregandi et aequalitas lègum. A.1892 ex Europâ in Philippinas reversus condidit *Ligam Filipinam* reformisticam, quae ab Hispanis gubernatoribus statim est sublata.

Opera Rizaliana, quae inscribuntur [Noli me tangere](#) et [El filibusterismo](#), 17 et 20 demum annis post mortem Rizalii a Patricio G. Mariano poetâ in sermonem *Tagalogianum* sunt conversa ideoque maiori parti populi facta sunt accessibilia.<sup>[6]</sup>

## **Damnatio et supplicium capitale**

Iosephus Rizalius propter actiones suas politicas gubernationi insularum Hispanicae adversas in ius vocatus est. Primo ad exilium damnatus est in *Dapitan* degendum, provinciam *Zamboangam del*

*Norte*, quae sita est in insulâ *Mindanao*. Ibidem *Rizal* scholam et nosocomium curavit aedificanda. Praeterea Iosephus indigenis construxit sistema aqueductum. Postquam poenam luit, a.1896 petivit, ut ministraret ad usum Hispaniae fovendum, quod ei ab ipso gubernatore Hispanico est permisum. Itaque in Cubam profectus est, ut ibi pro militibus Hispanis operaretur medicus; at tum erupta est Revolutio Philippinica. Hac de causâ Rizalius ipsâ in nave Barcinone a vigilibus publicis comprehensus in Philippinas est reportatus. Damnatus est, quod alios ad rebellionem et proditionem excitavisset, quamquam ipse a seditiosis invitatus recusasset, ne particeps fieret motionis revolutionariae, quae appellabatur *Katipunan*. In ultimâ suâ epistulâ amico suo Professori Blumentritt scripsit haec (*originaliter theodiscê, v. supra*):

***Domino Professori Ferdinando Blumentritt.*** *Mi care: Si hanc epistulam acceperis, ego iam mortuus ero. Cras horâ septimâ necabor sclopetis; sed innocens sum sceleris rebellionis. Moriar conscientiâ tranquillâ.*

D.30. m.Dec. Iosephus Rizalius in *Bagumbayan* (locus hodie appellatur *Platea Rizaliana*) in urbe *Manilâ* suppicio est interfectus. Die ante mortem suam in documento quo capit is damnatio est confirmata, nomen ethnicum, q.e. „*mestizo chino*“ (mixticius Sinicus) deleverat et in eiusdem locum suposuerat verbum „*indio*“ (indigena) ideoque declaraverat se esse indigenam Philippinum. Nocte ante supplicium praeterea scripsit poema, c.t. „*Mi último adiós*“ (Ultimum meum vale), quod clam dedit sorori suae. Hoc carmen illo tempore magnam vim habuit ad animos Philippinorum revolutionariorum adhortandos, sed etiam decenniis postea lèctum est ab Indonesianis revolutionariis ante proelia gravissima committenda.

## Monumenta

In Manilensi viridario Rizaliano eo loco, ubi Iosephus est sclopetis necatus, magnum stat monumentum, quod exstruxit *Richardus Kissling* Helvetius sculptor. Cui monumento inscripta sunt verba haec quae sequuntur: „*I want to show to those who deprive people the right to love of country, that we indeed know how to sacrifice ourselves for our duties and convictions; death does not matter if one dies for those*

*one loves – for his country and for others dear to him.*“ (i.e. Latinē: »Monstraturus sum illis, qui homines privent iure patriam amandi, nos reverā scire, quomodo ipsos sacrificemus officiorum et persuasionum gratiā; mors nihil valet, si quis moritur pro iis, quos amat – pro patriā suā proque aliis sibi caris«.

A.1972 a Philippinis in memoriam Iosephi Rizalii cusa est moneta unius pesonis.

Praeterea in tribu urbis Manilae, quae vocatur *Intramuros*, Castrum Roboris Iacobi (*Fuerza de Santiago*) aetate colonialismi Hispanici constructum, in cuius carcere Iosephus Rizalius degit ultimas horas vitae suae. Cui castro hodie inest museum, in quo cum cetera tum res Rizalii memoriales exhibentur spectatu dignissimae, velut textus carminis, c.t. „*Mi último adiós*“ in complures linguas conversus, etiam in theodiscam, necnon armarium Rizalianum (*Rizal Shrine*) in honorem Iosephi Rizalii ibidem collocatum. Etiam carcer adhuc exstat visendus. In urbe *Dapitan City* d.23 m.Apr. a.2000 instructa sunt loca Iosephi Rizalii in memoriam protecta; quibus inest domus, quam inhabitavit Rizalius exul.

D.30. m.Dec. in honorem Rizalii est Insularum Philippinarum dies festus nationalis.

Duae universitates studiorum appellatae sunt secundum nomen Iosephi Rizalii: *José Rizal University*, quae sita est in *Mandaluyong City* et *José Rizal Memorial State University in Dapitan City*.

Etiam Manilensis Schola Germanica diu nomine Iosephi ornata erat.

Statua Rizalii et imagines eius sociorum etiam stant in *Viridario Rizaliano*, quod a.1978 instructum est in *Badeniae-Virtembergae* oppido *Wilhelmsfeld*.

Pars ripae fluvii Nicri Heidelbergensis appellata est secundum Rizalium. A.2014 ibidem positus est lapis memorialis.

## Receptio

- 2016: [Hele Sa Hiwagang Hapis](#) (cinema)

## Scripta Rizaliana

- *Noli me tangere*. Insel, Frankfurt am Main 1987, [ISBN 3-458-14585-0](#). (versio theodisca 100 annis post editionem originalem edita)
- *Die Rebellion*. E Philippinorum sermone hispanico in theodiscum convertit Gerhard Walter Frey. In domo editoriâ MORIO, Heidelbergae a.2016, [ISBN 978-3-945424-29-2](#). (titulus originalis: "El Filibusterismo")
- 

## Litterae secundariae


- Bernhard Dahm: *José Rizal, Der Nationalheld der Filipinos*. (= *Persönlichkeit und Geschichte*. Tomus 134). Muster-Schmidt, Gottingae/ Turici a.1989, [ISBN 3-7881-0134-2](#).
- Donko, Wilhelm: *Österreich-Philippinen 1521–1898 – Österreichisch-philippinische Bezugspunkte, Beziehungen und Begegnungen während der Zeit der spanischen Herrschaft*. Domus editoria epubli.de, Berolini a.2011, [ISBN 978-3-8442-0853-5](#). (de J. Rizalio eiusque amicitiâ cum Ferdinando Blumentritt initâ legas p. 243–292)
- Gerhard Frey a.2005 in serie scriptorum c.t. „Heidelberger Jahrbücher“ publicavit librum, c.t. *Konflikte*. Qui describit in capitulo: *Gewalt oder Gewaltlosigkeit bei Konfliktlösungen: Alternativen bei Friedrich Schiller und José Rizal*, varia eorum conamina conflictûs solvendi in operibus *Wilhelm Tell* et *Noli me tangere*. [ISBN 3-540-27078-7](#).
- Annette Hug: *Wilhelm Tell in Manila*. Fabula romanica, Domus editoria *Das Wunderhorn*, 1. ed. d.17.m.Mart. a.2016, 192 pp, [ISBN 978-3884235188](#).

# **ULTIMUM MEUM VALE**

**CARMEN VALEDICTORIUM QUOD IOSEPHUS RIZAL  
SCRIPSIT NOCTE ANTE SUPPLICIUM SUI CAPITALE**

(d.30. m.Dec. a.1896)

## **Mi último adiós**



Adios, Patria adorada, region del sol querida,  
Perla del Mar de Oriente, nuestro perdido Eden!  
A darte voy alegre la triste mustia vida,  
Y fuera más brillante más fresca, más florida,  
Tambien por tí la diera, la diera por tu bien.

En campos de batalla, luchando con delirio  
Otros te dan sus vidas sin dudas, sin pesar;  
El sitio nada importa, ciprés, laurel ó lirio,  
Cadalso ó campo abierto, combate ó cruel martirio,  
Lo mismo es si lo piden la patria y el hogar.

Yo muero cuando veo que el cielo se colora  
Y al fin anuncia el día trás lóbrego capuz;  
Si grana necesitas para teñir tu aurora,  
Vierte la sangre mía, derrámala en buen hora  
Y dórela un reflejo de su naciente luz.

Mis sueños cuando apenas muchacho adolescente,  
 Mis sueños cuando joven ya lleno de vigor,  
 Fueron el verde un día, joya del mar de oriente  
 Secos los negros ojos, alta la tersa frente,  
 Sin ceño, sin arrugas, sin manchas de rubor.

Ensueño de mi vida, mi ardiente vivo anhelo,  
 Salud te grita el alma que pronto va á partir!  
 Salud! ah que es hermoso caer por darte vuelo,  
 Morir por darte vida, morir bajo tu cielo,  
 Y en tu encantada tierra la eternidad dormir.

Si sobre mi sepulcro vieres brotar un dia  
 Entre la espesa yerba sencilla, humilde flor,  
 Acércala a tus labios y besa al alma mía,  
 Y sienta yo en mi frente bajo la tumba fría  
 De tu ternura el soplo, de tu hálito el calor.

Deja a la luna verme con luz tranquila y suave;  
 Deja que el alba envíe su resplandor fugaz,  
 Deja gemir al viento con su murmullo grave,  
 Y si desciende y posa sobre mi cruz un ave,  
 Deja que el ave entone su cantico de paz.

Deja que el sol ardiendo las lluvias evapore  
 Y al cielo tornen puras con mi clamor en pos,  
 Deja que un sér amigo mi fin temprano llore  
 Y en las serenas tardes cuando por mi alguien ore  
 Ora tambien, oh Patria, por mi descanso á Dios!

Ora por todos cuantos murieron sin ventura,  
 Por cuantos padecieron tormentos sin igual,  
 Por nuestras pobres madres que gimen su amargura;  
 Por huérfanos y viudas, por presos en tortura  
 Y ora por tí que veas tu redencion final.

Y cuando en noche oscura se envuelva el cementerio  
 Y solos sólo muertos queden velando allí,

No turbes su reposo, no turbes el misterio  
 Tal vez acordes oigas de citara ó salterio,  
 Soy yo, querida Patria, yo que te canto á ti.

Y cuando ya mi tumba de todos olvidada  
 No tenga cruz ni piedra que marquen su lugar,  
 Deja que la are el hombre, la esparza con la azada,  
 Y mis cenizas antes que vuelvan á la nada,  
 El polvo de tu alfombra que vayan á formar.

Entonces nada importa me pongas en olvido,  
 Tu atmósfera, tu espacio, tus valles cruzaré,  
 Vibrante y limpia nota seré para tu oido,  
 Aroma, luz, colores, rumor, canto, gemido  
 Constante repitiendo la esencia de mi fé.

Mi patria idolatrada, dolor de mis dolores,  
 Querida Filipinas, oye el postrer adios.  
 Ahi te dejo todo, mis padres, mis amores.  
 Voy donde no hay esclavos, verdugos ni opresores,  
 Donde la fé no mata, donde el que reyna es Dios.

Adios, padres y hermanos, trozos del alma mía,  
 Amigos de la infancia en el perdido hogar,  
 Dad gracias que descanso del fatigoso día;  
 Adios, dulce extrangera, mi amiga, mi alegría,  
 Adios, queridos séres morir es descansar.





*„I want to show to those who deprive people the right to love of country, that we indeed know how to sacrifice ourselves for our duties and convictions; death does not matter if one dies for those one loves – for his country and for others dear to him.“*


i.e Latinê:

»Volo illis, qui homines privent iure patriam amandi, monstrare nos reverâ scire, quomodo nos ipsos sacrificemus officiorum et persuasionum gratiâ; mors nihil valet, si quis moritur pro iis, quos amat – pro patriâ suâ et pro aliis sibi caris«.



**HOC MONUMENTUM IOSEPHI RIZAL MANILENSE  
A.1912 CONFECIT RICHARDUS KISSLING  
Sculptor Helvetius  
(1848-1919)**

# DE FABULA ROMANICA IOSEPHI RIZALII ILLUSTRISSIMA



[https://de.wikipedia.org/wiki/Noli\\_me\\_tangere\\_\(Roman\)](https://de.wikipedia.org/wiki/Noli_me_tangere_(Roman))

*Noli me tangere* est fabula romanica a.1887 edita, quam scripsit Iosephus Rizal, heros Philippinarum nationalis, aetate colonialismi Hispanici, ut patefaceret facinora iniusta sacerdotum catholicorum et gubernationis dominantis.

Duae personae huius fabulae in litteris Philippinarum factae sunt classicae: **Maria Clara**, quae est summâ caritate necnon fidelitate constantissimâ, et **Damasus** eius pater naturalis idemque membrum cleri hispanici.

Textus huius operis originalis Berolini editus est Hispanicâ scriptus eo fine, ut in Hispaniâ legeretur. Sed hodie in Insulis Philippinis hic liber solet publicari legique aut sermone tagalogiano aut anglico. Unâ cum eius continuatione, c.t. El Filibusterismo (*Seditio*), lectio omnibus discipulis Archipelagi Philippiani est obligatoria.

## **Quibus circumstantiis hoc opus scriptum sit**

Iosephus Rizalius, Philippinus medicus atque nationalist, cum illius *Harriet Beecher Stowe* opus illud illustre legisset, c.t. *Casa Thomae avunculi*, consilium cepit, ut fabulam romanicam scriberet, quâ mala societatis philippinicae patefaceret. Voluit enim verbis exprimere, cultus civilis Philippinarum quam retardatus esset, quam ineruditus, progressui ideisque illuminismi quam adversa. Illo tempore Rizalius in Universitate Matriti Centrali studebat medicinae cognoscendae.

Cum d. 2.m.Ian. a.1884 Matriti in domo amici Petri A. Paterni Philippinos conveniret, Iosephus proposuit, ut unâ conscriberent fabulam romanicam de Philippinis. Cui proposito in hōc festo assenserunt omnes praesentes. Tamen hoc propositum non est ad effectum adductum. Nam nemo eorum, qui se paratos esse ad Rizalium fabulam scripturum adiuvandum, aliquid scripserat. In initio consilium captum erat omnes partes vitae Philippinorum describere, sed plerique voluerunt scribere de mulieribus, immo Rizalius etiam observavit sodales suos potius se dedere ludis aleatoriis lusionibusque amatoriis cum mulieribus Hispanis faciendis. Itaque destitit a consilio cooperandi et statuit, ut fabulam scriberet sôlus.

Titulus autem Latinus, qui est „*Noli me tangere*“, spectat ad Evangelium Iohannis. Animus autem Rizalii affectus est rebus, quae illo tempore tam difficiles dolorosaeque fuerunt tractatu, ut solerent sermone praetermitti. Iosephus autem ad amicum quandam scripsit haec:

„*Equidem consilium concepi, ut facerem, quod facere nemo vellet. Nam volui respondere diffamationibus, quae per tot saecula terrae nostrae acervatim illatae sunt. [...] Res, de quibus narro, factae sunt omnes, earum descriptio respondet veritati.. [1]*“

## **Argumentum.**

Cum in Europâ per septem annos litteris studuerit cognoscendis, iuvenis *Johannes Chrysostomus Ibarra y Magsalin* in Philippinas revertit. Die postquam Manilam advénit, *Dominus Jacobus Sanctorum*, qui appellatur „*Capitán Tiago*“, amicus familiae, in

eius honorem invitat ad festum revidendi celebrandum, cuius participes sunt clerici ordinis religiosi et alii homines magnâ auctoritate praediti.



Leonora Rivera-Kipping, quae Rizalio exemplo fuit personam Mariae Clarae in fabulâ describentis. Haec imago stilo plumbato delineata est ab ipso Iosepho Rizalio.

Unus e convivis, *Frater Damasus Vardolagas*, qui olim fuit parochus vici Iohannis patrii, eundem verbis laedit atque diffamat.

Celebritate relictâ Iohannes a *Guevarâ* succenturione Vigiliae Civilis certior fit de rebus, quae factae erant ante mortem patris sui *Domini Raphaelis Ibarrae*, divitis possessoris praedii. Guevara refert Dominum Raphaelem iniustê accusatum esse haeresis religiosae et seditionis conflatae. Hoc ei a Damaso obiectum esse, quia Dominus Raphael non subiisset confessionem religiosam. Praeterea Dominum Raphaelem eo magis Damaso exosiorem factum esse, quod adiuvisset puerum cum exactore vectigalium pugnantem posteaque culpa mortis eiusdem viri in se coniecta esset, quam non consulto effecisset. Postquam pater Iohannis comprehensus est, subito adversarios clandestinos alia ei crimi dedisse. Rebus autem paene compositis Raphaelem morbo mortuum esse. Cum idem in coemeterio vici sepultus esset, Damasus praescripsit, ut Raphaelis reliquiae mortales ex eo loco auferrentur.

Postridie Iohannes visitat sponsam suam *Mariam Claram*, lepidam filiam Capitanei Iacobi, incolae divitis tribûs. Hôc in conventu clarê patet eosdem ex multis annis inter se amare; Maria Clara non potest,

quin denuo recitet epistulam valedictoriam, quam Iohannes sui amatus scripserat in Europam profecturus.

Vico Sancti Iacobi suo patrio reviso mortis paternae commonitus Iohannes non cogitat de ultione, sed sequitur consilium a patre captum, quo studeat scholam condere. Nam patri persuasum erat patriam suam non progressuram esse nisi eruditione. At primus lapis scholae aedificandae cum ponatur, non multum abest, quin Iohannes interficiatur, nisi ab Eliâ, viro quodam mysteriali, praemoneretur, ut caveret homicidium sibi intentatam. Forte autem fortunâ in loco Iohannis moritur ipse attemptator.

Aedificio scholae dedicato Iohannes invitat ad prandium habendum, in quod Damasus subito incidit retardatus. Idem verbis laedit Iohannem, qui primo procaciam parochi tacendo praetermittit. At subito patrem mortuum recordatus non iam compos sui invehitur in Damasum eius impudentiam pugione ulturus. Itaque Damasus eum excommunicat et occasione usus Iacobo iam dubitanti persuadet, ut filiae interdicat, ne Iohanni nuberet. Nam Damasus vult Mariam Claram nubere *Linaresio*, qui nuper demum vénit ex Hispaniâ. At gubernatore generali adiuvante excommunicatio Iohannis tollitur et archiepiscopus decernit, ut idem denuo in ecclesiam recipiatur.

Iacobopoli cum paulo post praedones gregales (*tulisanes*) seditionem conflent, Hispani monachi magistratûsque hoc Iohanni in culpam convertunt. Itaque idem comprehensus in carcerem conicitur. Vicani autem, qui brevi demum ante amici Iohannis facti sunt, eum nunc contemnunt.

Interim in domo Capitanei Iacobi festum fit, quo nuptiae Mariae Clarae et Linaresii annuntientur. Eliâ adiuvante Iohannes e carcere effugit. Primo Mariam Claram vespere celebritatis visitans accusat prodigionis, quia cogitat eam actori publico inter causam iuridicam dedisse epistulam privatam, quam ipse Mariae Clarae scripserat. Ea autem declarat numquam fieri posse, ut ipsa ei insidias paret, sed se coactam esse, ut illam epistulam traderet Patri reverendo Salvi, ut ab illo acciperet epistulas gravissimas, quas mater sua scripsisset antequam ipsa nata esset.

Postea Maria Clara opinata Iohannem fugientem sclopetatione occisum esse magnâ maestitiâ afficitur. Spe decepta Damasum rogit, ut permittat se nonnam fieri. Is autem iniquo animo annuit puellae minanti se sibi manûs illaturam esse verbis quae sunt: „*aut monasterium petam aut mortem!*“ Sed puella nescit Iohannem fugere potuisse et adhuc vivere. Nam Elias eum a sclopetatione protexit.

Sanctâ Nocte *Elias* graviter violatus in silvâ illum locum accedit, ubi Iohannem ut conveniret, inter se composuerant. At in loco illius Elias invenit *Basilium* ministrum missalem, qui bracchiis tenet *Sisam* matrem suam mortuam. Quae in insaniam inciderat accipiens *Crispinum* atque *Basilium* ambos filios suos a primo sacristano e monasterio fugatos esse, cum in suspicionem venissent pecuniae ibi surreptae.

Elías, cui persuasum est se mox moriturum esse, *Basilium* iubet rogum exstruere et in eodem corpora Sisae suique ipsius comburere. Porro eidem monet, ut postea hōc loco humum effodat, nam pecuniam inventurum esse. Animam suam efflatus *Basilium* monens ut perget de libertate patriae somniare ultima haec verba susurrat:

„*Morior patriae auroram nondum spectans lucentem...! Vos autem illam si aspexeritis, salutate... Nolite oblivisci illos, qui ceciderunt in tenebris...!*“

Tum Elias moritur.

In epilogo narratur Iacobus opii cupiditate affectus in oppido *Binondo* saepe visus esse in cauponâ opiariâ. Maria Clara autem nonna facta erat. Aliquo vespere tempestuoso visa est mulier pulcherrima mente perturbata in monasterii tecto stans lamentari et caelum exsecrans propter fatum suum. Numquam clarê patuit, quis haec mulier fuisse, sed plerique credebant illam fuisse Mariam Claram.

## **Historia publicationis**

Rizalius hanc fabulam romanicam perfecit m.Dec. a.1886. Quidam Rizalii biographus dicit eum primo timuisse, ne fabula numquam impressum numquam legeretur. Pecuniae penuriâ oppressus non potuit curare, ut opus prelo subiceretur; sed ope amico *Maximi Violae*

tandem fieri potuit, ut liber Berolini imprimeretur apud Societatem Libros Imprimendi Actionariam. Rizalius a Maximo mutuam sumpsit pecuniam, quâ edita sunt primae editionis exempla duo milia. Cum Maximus Viola mense Decembri a.1886 Berolinum advenisset, Rizalius iam d.21. m.Mart.a.1887 exemplum fabulae sua, c.t. *Noli me tangere*, typis impressae misit ad amicum suum *Ferdinandum Blumentritt*.

Prima versio huius fabulae theodisca favente ambasciatore Germano Manilensi confecta est ab *Anna Maria del Cueto-Mörth*, quae usa est editione Instituti Nationalis Historiae Manilensis a.1978 factâ. Quae versio in iubilaeum editionis originalis publicata est a.1987 in domo editoriâ Insulariâ (*Insel Verlag*).

### **Fabula Rizaliana quantum valuerit ad coaequales posterosque**

Haec fabula romanica eiusque continuatio, c.t. *El Filibusterismo* (*Seditio*), in nonnullis partibus Philippinarum propter corruptionem abusumque munerum gubernationis clerique Hispanici descriptos prohibita est. Tamen nonnulla exempla inm Philippinas sunt subintroducta, et Rizalius ex Europâ reversus in Philippinas revertens mox magistratibus ingratus factus est. Paucis tantum diebus postquam advénit ab *Emilio Terrero* gubernatore generali in *Palatium Malacanangianum* vocatus est. Ibidem gubernator Rizalio obicit esse quosdam, qui contenderent fabulae inesse argumenta subversiva.

Contigit quidem Rizalio, ut gubernatoris animum quadamtenus placaret, tamen idem non potuit resistere viris ecclesiasticis librum gravissimê repudiantibus. Persecutio Rizalio politica apparent ex epistulâ quam idem misit ad *Professorem Blumentritt* amicum suum:

*„Libro meo multum turbæ factum est; ubique homines ex me quaerunt, qualis sit. Eiusdem causâ me punire volunt anathemate ecclesiae [me excommunicare] [...] Putant me esse Germanorum, Bismarckii speculatorem clandestinum, dicunt me esse evangelico-Lutheranum, franco-murarium, maleficum, animam condemnatam, virum improbissimum. Rumores ferunt me consilia concipere secreta, me possidere syngrapham extraneam, me nocte per vias vagari ....“*

Deinde Rizalius exul factus in urbem *Dapitanum* posteaque propter „*homines ad rebellionem excitatos*“, magnâ ex parte propter scripta sua, comprehensus est, capitis damnatus, d.30. m.Dec. a.1896, aetate triginta quinque annorum sclopetando interfectus.


Rizalius indolem gentis Philippinae descriptsit verbis efferens indigenarum virtutes: mulieris Philippinae animum caritate plenam, quantum eadem valeret ad virum, in cuius amorem inciderat, fortitudinem necnon sanam mentem quas praestant Philippini regimine Hispanorum oppressi.

Cum alii tum praecipuê Rizalius operibus suis scriptis id effecit, ut Philippini, qui antea se tantummodo singulis regionibus affines consideraverant, nunc sentirent se omnes esse vinculo nationis unius inter se coniunctos. Rizalius personas societatis colonialis typicas descriptsit, praesertim Mariam Claram, quae facta est imago mulieris Philippinae idealis, amore atque caritate plena, marito dedita fidelitate constantissima; e contrario Parochus Frater Damasus, cuius e dictis factisque appareat, quantum iniuriae illatum sit indigenis Philippinis a clericis atque magistratibus Hispanorum; nec reticet Rizalius clam genitos esse infantulos a membris cleri Hispanicici (*hôc loco interpreti Latino liceat obiter adnotare talia interdum etiam referri de aliis sacerdotibus aliarum regionum, tamen non omnes clericos esse tales, esse etiam veros pastores animarum, qui praecepta fidei sua fidelissime sequentes oves suos pascant salutariter*).

Liber Rizalianus indirectê valuit ad revolutionem Philippinorum, qui pugnaverunt pro patriâ ab Hispanis liberandâ, etiamsi auctor ipse noluit Philippinas ab Hispaniâ disiungere, sed postulavit, ut patria sua directê repraesentaretur in gubernatione Hispanicâ et ut valeret ad res Hispaniae politicas generales. A.1956 congressus Philippinarum politicus actum decrevit 1425 sive Legem Rizalianam, quâ omnes scholae Philippinarum obligantur, ut fabulam Rizalii romanicam, c.t. *Noli me tangere*, tractarent partem curriculi institutorii. Eadem fabula tractatur gymnasii anno tertio, quarto anno tractatur *El Filibusterismo*. Utraque fabula iniuncta est institutioni examinibusque ad litteraturam Philippinam spectantibus.<sup>[3]</sup>

## Einzelnachweise

- • Kolanoske, Lieselotte: „Biographische Notiz“, in: *Noli me tangere. Aus dem philippinischen Spanisch von Annemarie del Cueto-Mörth*. Frankfurt am Main: Insel Verlag, 1987, 449.
- • „[Jose Rizal | Noli Me Tangere](#)“, in: *Jose Rizal ph : Rizal in Focus : Works : Novels*, Jose Rizal University, 2004. (Zugriff am 30. Januar 2014)
- „[Republic Act No. 1425](#)“, in: *Chan Robles Virtual Law Library : Philippine Laws, Statutes & Codes*, chanrobles.com. (Zugriff am 31. Januar 2014)



# **CHRONOGRAMMATA DEMMINGIANA**

Horaz hat es auch schon gewusst. Gruß aus Münster. HD

Zum endlosen Gehampel um die CORONA-Maßnahmen

**MONTES PARTVRIVERE NATVS MVS**

Das Gebirge kreißte. Raus kam 'ne Maus.

*hdf*

Seine Psalmensinfonie hab ich unter Robert Wagner in den späten Fünfzigern mitgesungen. Gruß!

Zum 6. April 2021

**IGOR STRAVVINSKY**

**ARTIFEX MVSICVS EXCELLENS NOBILISQVE**

**HODIE ANTE QVINQVAGINTA ANNOS E VITA CESSIT**

Igor Strawinsky, als Künstler und Musiker herausragend und berühmt, starb heute vor 50 Jahren.

*hdf*

Traurige Grüße! HD

Zum 6. April 2021

**HANS KVENG**

**CLARVS LIBERATAE THEOLOGIAE DOCTOR CRITICVS VIGILANS  
FORTIS ADVERSARIVS FALSAE ARROGANTIS AVCTORITATIS  
NONAGINTA TRIBVS ANNIS PERFVNCTVS E VITA CESSIT**

Hans Küng, berühmter Lehrer einer befreiten Theologie, kritischer, wachsamer, mutiger Gegner falscher, anmaßender Autorität, ist im Alter von 93 Jahren verstorben.

*hdf*

CUM IRA ET STUDIO! Gruß aus Münster! HD

Klaus Merten hat Recht. Aus vielen gegebenen Anlässen:

**OMNIA EXPLORA ACRITER  
PAVCIS CREDE APERTE  
IPSE COGITA LIBERE**

Prüfe alles genau, ohne Arg glaube nur wenigem, denke selbst ohne Hemmungen!

Münstersche Grüße! HD


*Seufzer angesichts der ständigen Torheiten in der deutschen Politik*

**CONTRA STUPIDITATEM ET CAELESTES IPSI FRVSTRA sCILICET PVGNANT**

*Gegen Dummheit kämpfen auch Götter selbst leider vergebens.*

*hdf*

# **CHRONOGRAMMATA PATRIS HERBERTI DOUTEIL BRASILIENSIS**



**Meister Francke, Christus als Schmerzensmann (um 1435), Hamburger Kunsthalle,  
Foto: Hildegard Schuhmann**

Zum 11. April, **dem 2. Ostersonntag, der Göttlichen Barmherzigkeit:**

2021\* DeVs VnVs Creator CVnCtI nostrI generIs hVManI VnICVs qVoqVe  
serVator et saLVator eXstabIt. - Der eine Gott, der Schöpfer unseres gesamten  
Menschengeschlechtes, ist auch der einzige, der erhalten und retten wird.

2021\* IesVs agnVs MIseratVr MIseriIs totIs nobIs. - Jesus, das Lamm, möge  
sich der Armen aller erbarmen.

2021\* IesVs ChrIstVs faCtVs est pro totIs nobIs VerVs VVLtVs VIbILI  
**M**IserICorDIae patrIs aeternI In terrIs nostrIs InVIbILI. – Jesus Christus ist  
 für uns alle das wahrhaftige, sichtbare Antlitz der Barmherzigkeit des ewigen,  
 auf unserer Erde unsichtbaren Vaters geworden. – vgl. Jo 14,9

2020\* MIserICorDIa patrIs et fILII IesV ChrIstI et spIrItVs sanCtI sIt nobIs  
 totIs tVtrIX et nVnC In VIta Ista et sIne fIne In aeternItate, VIrgo pVra oret pro  
 nobIs. – Die Barmherzigkeit des Vaters und des Sohnes Jesus Christus und des  
 Heiligen Geistes sei uns allen Schutz sowohl jetzt in diesem Leben als auch  
 ohne Ende in der Ewigkeit, so möge die reine Jungfrau für uns erbitten.

Zum 11. April, dem **Zweiten Ostersonntag**:

2021\* IesVs ChrIstVs eCCe hoMo, eCCe, sIs nobIs totIs DeVs fortIs. –Jesus  
 Christus, siehe er ist Mensch, siehe, möge er für uns alle der starke Gott! - vgl.  
 Jo 20,28 – Thomas: „Mein Herr und mein Gott!“



**Der Ungläubige Thomas, rechter Teil eines Elfenbeindiptychons, Ottonisch, Ende 10.  
 Jh., Original der Staatlichen Museen Berlin, Kopie in der Kapelle der Spiritaner,  
 Cruzeiro do Sul**

2021\* o IesV, sIs nobIs totIs DoMInVs noster et DeVs noster fortIs! - O Jesus,  
 sei uns unser Herr und unser starker Gott! - Jo 20,28 “ Thomas: Mein Herr  
 und mein Gott!“

# ECHUS VOCES EPISTULAE

D. 03. m.Apr. a.2021 h.23:37 scripsit Prof. em. Andreas Fritsch Berolinensis

**Andreas Nicolao sodali optimo sal. plur.**

Hac nocte paschali, Nicolae carissime, mihi in mentem venit maxime necessarium esse, ut tibi tandem aliquando respondeam tibique gratias agam pro tuis epistulis et aliis operibus scientifice confectis mihi per annum missis. Multae erant causae, quae me prohibuerunt tibi scribere, quas enumerare longum est. Tamen non sint impedimenta amicitiae nostrae! Una causa est senectus, quae hoc anno quandam defatigationem et infirmitatem (mihi antea ignotam) secum tulit. Sed dum spiro, spero. Nunc autem est nox ante Pascha, id est festum resurrectionis Christi. Itaque Tibi et uxori tuae amabili omnia bona, maxime autem bonam valetudinem exoptare velim. In appendice huius scripti mitto Vobis "Ovum digitale", quod ante nonnullos annos in rete universalis inveni. Hoc ovum non marcescit nec putescit.

Bene igitur valete, saluto vos etiam nomine Irenae.



**XPIΣΤΟΣ ΑΝΕΣΤΗ !**

Allen bereits überstandenen oder noch befürchteten  
Gefahren und Schwierigkeiten zum Trotz  
wünschen wir Dir auf diesem Wege von Herzen

**FROHE OSTERN !**

Irene und Andreas

ΗΓΕΡΘΗ Ο ΧΡΙΣΤΟΣ = ἤγέρθη ὁ Χριστός (cf. Mt 28,6; Mk 16,6),  
ὄντως ἤγέρθη ὁ κύριος (Luk 24,34), Ιησοῦς ἀνέστη (1 Thess 4,14).  
Χριστὸς ἀνέστη! Ἀληθῶς ἀνέστη!

**Nicolaus Andreae sal.pl.**

Summas gratias, Andrea carissime, pro votis Paschalibus ovoque polyglotto mihi missis. Valde gaudeo post tantum spatium silentiosum nuntium mihi misisse meque nunc scire te Irenamque tuam saltim aliquatenus bene valere. Utinam Latinitas viva tibi sit et panaceum et senectutis solacium universale! Haec brevissime, mox certe plura, e.g. vocabula quae spectant ad vestimenta (babae! istorum quot genera, quot nomina!) Vale pancratice et fruere diebus Paschalibus atque vernalibus!

Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.

Sat, 10 Apr 2021 19:34:58 +0200

**Nicolaus GROSS Andreae FRITSCH amico carissimo**

Sal.pl.dic. S.V.B.E.E.V.

Spero te dies Paschales recreabiliter degisse. Utinam tu et Irena tua vos habeatis pancratice! Sit tibi Latinitas viva tibi medicamentum panaceum et antigeriatricum!

En capitulo Orbis Picti Hexaglotti, c.t.: VESTITUS. Antepaenultimo capitulum sunt ACCESSORIA, paenultimo capitulum est ARS (spectat ad architecturam, artes fabriles, musicam). Ultimum capitulum COMMUNICATIO. Haec tria capitula iam ante nonnullos annos tractavi secundum editionem lexici Quebecensis priorem; nunc restant quaedam augmenta (nam prius lexicon habet notiones 35.000, recentior editio, qua nunc utor, habet 40.000). Vocabulis collectis et inventis restat altera pars laboris, i.e. compositio alterius tomii operis: testimonia et interpretamenta Latina indicanda. In huius operis prolixo indicibus et textibus meis relegendis quidquid suspiciosum et mendosum inveneris, de hoc me certiorem facias plurimum te rogo. O Comeniani operis investigator peritissime, utinam communiter sequamur vestigia magni Moraviani!

Haec hactenus, mox certe plura. Utinam sint tibi multae occasiunculae fructuosae verba Latina legendi et ratione philologa philosophaque considerandi.

Medullitus te salutat

Nicolaus.

## ECCE LIBRI LEONIS LATINI

*Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdē augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuē disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.*

*Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:*

- |   |         |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat).....                       | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum).....                  | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser).....                | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne).....     | 22,00 € |

*PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».*

*GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.*

*Habeas nos excusatos, quod situm interretiale (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.*

*Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimē eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtualem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeratas, quibus operam dedit illis creandas.*

*Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EIΣ AEI.*

## INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR .	Num. mand a- telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANS- LATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI- TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	<b>FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA</b>	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	<b>FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibles</b>	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	<b>TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM</b>	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	<b>ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE</b>	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	<b>ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibles</b>	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	<b>MEMENTO MORI</b>	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	0040 4A	978-3-938905-17-3	<b>MEMENTO MORI – Libri audibles</b>	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	<b>DE CRAMBAMBULO</b>	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	<b>DE DINOSAURIS</b>	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	<b>SUDATORIUM VENERIS</b>	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	<b>PERICULUM FRANCISCI</b>	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	<b>NUPTIAE ABDERITANAЕ</b>	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	<b>TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN</b>	Henricus van den Lande de Raelt	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

14	01104	978-3-938905-10-4	<b>DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO</b>	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	<b>FABELLAE GRIMMIAE 1</b>	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	<b>ROMULUS MAGNUS</b>	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	<b>DE THILO CUSTODE FERRIVIAE</b>	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	<b>HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)</b>	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	<b>WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT</b>	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	<b>0050 5A</b>	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – <b>Libri audibiles</b>	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	<b>0060 5A</b>	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – <b>Libri audibiles</b>	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	<b>0070 5A</b>	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – <b>Libri audibiles</b>	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	<b>AUTOBIOGRAPHIAE LATINAЕ</b>	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	<b>DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIMUM</b>	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – <b>Libri audibiles</b>	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	<b>0040 6A</b>	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – <b>Libri audibiles</b>	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – <b>Libri audibiles</b>	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90


28	00107 A	978-3- 938905-27- 2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius ----- --		2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207 A	978-3- 938905-28- 9	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius _____		2007	Audio	53 min.	€ 23,90
30	00307	978-3- 938905-29- 6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD- ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,  
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !



**HANC EPISTULAM LEONINAM  
DUCENTESIMAM TRICESIMAM QUINTAM  
SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**



**Die Martis  
13. m.Apr. a.2021**

**Dr. Nicolaus Groß  
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae**